



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilium Tolosanum, XVIII. Episcoporum Contra Simoniam aliave cleri & populi vitia celebratum anno Domini MLVI. tempore Victoris papae II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

VICTOR S. LANDAVENSIS. HENRICVS IV. IMP.  
P. II. EDWARDVS CONFESSOR R. AN. 571

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
1056.

conuenirent clerci maioris dignitatis electi, tamquam inferioris apud Landauiam, & in plena Synodo depositis crucibus cum sanctis reliquiis ad terram, & versis cymbalis, simul & clauso ostio ecclesiae, cum stipatis spinis, & ita carens seruitio & pastore remansit diebus & noctibus, facto anathemate familiae regis & sequestratae a tota orthodoxae fidei sorte, & audita tanta submotione, & dilatata per patriam magno strepitu & murmure, coepit rex lacrymari pro damnatione familiae sua, desiderans potius pacem cum suo pastore, quam participationem perpetratae iniuria. Aduocatis omnibus comitibus suis requisiuit apud Landauiam lacrymabili deuotione, simul & familia segregata a Christianorum consortio, & audita eius prece, & data sibi venia simul & familia iuncta cum pœnitentia canonica, dixit rex positis manibus suis super altare Petri apostoli & sanctorum confessorum Dubricii, Teliaui & Oudocei, & coram vtroque populo clericali & laicali: Confirmo hanc eleemosynam, tribuens Deo Henriugunua videlicet, & sanctis praedictis, & episcopo Hervualdo, & omnibus pontificibus Landauiae in semper terna consecratione liberam ab omni seruitio seculari & regali, & cum data communione incolis, in campo & in siluis, in aqua & in pascuis. De clericis testes sunt, &c. Facto anathemate separaturis hanc eleemosynam ab ecclesia Landauiae & a pastoribus eius, data autem benedictione seruaturis & confirmaturis in quieta pace. Amen.

ANNO  
CHRISTI  
1056.

## CONCILIVM TOLOSANVM, XVIII. EPISCOPORVM CONTRA SIMONIAM aliave cleri & populi vitia celebratum anno Domini MLVI. tempore Victoris papæ II.

### TITVL CAPITVLORVM.

- I. *De episcopis qui pecuniam ab ordinandis exigunt, & de ordinatis per simoniam.*
- II. *De astate episcopi, abbatis & diaconi ordinandi.*
- III. *Vt dedicationes ecclesiistarum gratis fiant.*
- IV. *Contra simoniacos.*
- V. *De clero qui adipiscenda abbatia gratia fit monachus.*
- VI. *De cura abbatum.*
- VII. *De calibatu clericorum.*
- VIII. *Vt laici res ecclesiasticas non usurpent.*

Concil. Tom. 25.

Cccc ij

572 VICTOR P. II. CONCILIVM HENRICVS IV. IMP.  
HENRICVS I. REX FR.

IX. *Vt laici res defunctorum suscipere non audeant.* XII. *Vt adulteri & incesti pænitentiant.*  
X. *De iure episcoporum in ecclesiis subiectas.* XIII. *Vt hereticorum & excommunicatorum societatem cuncti fugiant.*

ANNO CHRISTI  
1056.

### P R A E F A T I O.

**A**NNO incarnationis dominicæ millesimo quinquagesimo sexto, Idibus Septembris, habita est sancta Synodus decem & octo episcoporum apud urbem Tolosam, iussu domni papæ Victoris, qui ob funditus extirpandam simoniacam heresim, ac reparandum sanctæ ecclesiæ statutum secundum priscorum scita Canonum, vicarios vice sua direxit Rambaldum Arelatensem, & Pontium Aquensem archiepiscopos, qui adiuncto sibi Vvifredo Dei gratia Narbonensi archiepiscopo, aliisque coepiscopis ceterarum urbium sancti Petri auctoritate & prænominati papæ iussione, sanctorum patrum... sequentes, hæc in prouinciis Galliæ atque Hispaniæ perpetim obseruanda æstimauerunt.

### C A P I T V L A.

#### I.

Si quis episcoporum accepta quocumque modo pecunia ordinauerit episcopum, abbatem, presbyterum, diaconum, aut quemcumque alium, qui numeratur inter clericos, ipse gradus sui subiaceat periculo: & qui sic ordinatur, nullum habeat fructum ex huiusmodi mercimonio, sed sit alienus eius dignitatis & ordinis quem per pecunias acquisiuit.

#### II.

Item placuit confirmare, sicut scriptum est, vt episcopus vel abbas presbyter ante triginta annos, diaconus vero ante vigintquinque non ordinetur, nisi aut studio sanctitatis aut sapientiæ ornati,

ANNO  
CHRISTI  
1056. prouidentia episcopi simul & cleri promoueantur,  
& eadem ordinatione fiat, nisi temporibus secun-  
dum Canones statutis: aliter quidem irrita fiat or-  
dinatio.

III.

Dedicationes item ecclesiarum eadem sancta  
Synodus per pecunias fieri nullatenus voluit.

IV.

Item placuit, vt nullus clericus, vel monachus,  
vel alias aliquis, pro eis episcopatum, vel abbatiam,  
vel presbyteratum emere præsumat. Sed neque  
comes, vel alia vlla potestas, eadem vendere aut  
precium pro eis accipere audeat. Quod si quis hoc  
transgressus fuerit, nisi resipuerit, & digne satisfe-  
cerit, communione priuetur.

V.

Statuit item sancta Synodus, vt si quis clericorum  
adipiscendæ abbatiæ causa monachus effectus  
fuerit, in abbatia quidem monachus permaneat,  
sed ad ipsum honorem, ad quem spirabat, nullatenus  
accedat. Quod si præsumperit, excommuni-  
cetur.

VI.

Item decreuit, vt abbates curam monachorum  
& monasteriorum exerceant, & eis victum & ve-  
stitum secundum regulam sancti Benedicti præ-  
beant, & hoc agentes proprium eos habere nulla-  
tenus permittant. Ipsi vero monachi absque volun-  
tate abbatis præposituram aliquam non teneant.  
Abbas autem vel monachus has institutiones cor-  
rigentes a propriis corriganter episcopis.

Cccc iij

VII.

Placuit quoque presbyteros, diaconos, & reliquos clericos, qui ecclesiasticos tenuerint honores, abstinere omnimodis ab uxoribus, vel reliquis mulieribus. Quod si non fecerint, honore simul & officio priuentur, & a propriis episcopis excommunicentur.

VIII.

Inter hæc quoque placuit noxios diuersorum scelerum diuersis sententiis refrenari. Et quia audiimus quosdam laicorum nefario ausu res ecclesiasticas suis usibus applicuisse, & iniusto dominio in suum opus retinuisse, idcirco omnimodis prohibemus, ut nemo laicorum abbatiam monachorum, vel clericorum archidiaconatum, neque præposituram, vel honorem presbyterii, vel sacrificæ, seu magistri scholæ, neque ullos honores ad ius prædictum pertinentes, ausit suis usibus retinere; & si fecerit, excommunicationi subiaceat.

IX.

Præcipimus quoque ut nullus laicorum aliquid suscipere audeat de rebus aut substantiis defunctorum, nisi quantum ipsi defuncti adhibitis idoneis testibus in vita sua ordinauerint; aut si intestati obierint, ad libitum propinquorum heredum dividantur.

X.

Statuimus etiam, ut ecclesiæ ad sedem pertinentes, quæ soluunt tertium, aut paratam, vel Synodum, solito more persoluant episcopis vel clericis. De iis vero ecclesiis, quæ non dant tertium,

VICTOR  
P. II.

TOLOSANVM.

HENRICVS IV. IMP.  
HENRICVS I. REX FR.

575

ANNO  
CHRISTI  
1056. vel paratam , tertia pars decimarum cum primitiis  
& oblationibus , quæ de cœmteriis & defunctis  
consequantur, episcopo & clericis assignetur. Simi-  
li quoque modo statuimus de ecclesiis ad mona-  
steria pertinentibus.

X I.

Item de ecclesiis in alodiis laicorum constitu-  
tis , vt tertia pars decimarum cum primitiis , & pre-  
sbyterio , & ceteris in potestate presbyteri ad serui-  
tium ipsius ecclesiæ sub episcopi , vel clericorum  
ditione permaneant. Qui autem contrarii sanctæ  
matri ecclesiæ & auferunt & retinent ad suum o-  
pus alodia , quæ pertinent ad communitates ca-  
nonicorum , vel monachorum , nisi resipuerint , &  
reddiderint ea , prædicto anathemati subdantur.

X I I.

Adulteros vero, incestuosos, ac periuros mone-  
mus per Domini obedientiam , & Petri apostolo-  
rum principis , & domini Victoris , & nostram , vt  
resipiscant a vitiis huiusmodi , & ad dignam satis-  
factionem secundum statuta Canonum perue-  
niant , & excommunicamus id in futuro fieri nul-  
latenus.

X I I I.

Cum hæreticis & cum excommunicatis ullam  
participationem vel societatem habentem præci-  
pue excommunicamus , nisi correctionis vel ad-  
monitionis causa , vt ad fidem redeant catholicam.  
Si qui autem adiuuantes eos defendere conati fue-  
rint, vinculo simul excommunicationis cum eis  
subditi permaneant.

576 VICTOR C. COMPOSTELL. HENRICVS IV. IMP.  
P. II. FERDINANDVS I.R. CASTELLÆ.

Quæcumque superius scripta \* tenentur, confirmavit  
& anathematizauit subscripta sancta Synodus prædictis  
congregata temporibus iubente papa Victore, regnante  
Henrico Pio imperatore, sub venerabili Pontio Tolosano comite. Quibus quicunque obedire studuerit,  
Domini benedictione & apostolica repleatur; qui vero  
contemptor & inobediens extiterit, Domini iudicio per-  
petualiter subiectus sit. Firmant & consignant Rambaldus  
Arelatenfis & Pontius Aquensis archiepiscopi, vice  
papa Victoris. Consignat Vvifridus Narbonensis Deigra-  
tia archiepiscopus. Confirmant domini antediicti episcopi,  
scilicet, Arnoldus Tolosanus episcopus, Bernardus Biter-  
rensis, Gontherius Agathensis, Arnaldus . . . . Bernar-  
dus Aginnensis, Raimundus Vasatenfis, Arnaldus Ma-  
galonenfis, Elfandus Aptensis, Petrus Ruthenensis, Pro-  
terius Nemausensis, Rostagnus Luteuensis, Heraclius Bi-  
gorrensis, Bernardus Conuenensis, Bernardus Consoran-  
ensis, Arnaldus Elnensis.

## CONCILIVM COMPOSTELLANVM

A CRESCONIO COMPOSTELLANO ARCHIEPISCOPO  
ad disciplinam ecclesiasticam restaurandam celebra-  
tum anno Domini M L VI. tempore Victoris papæ II.

### NOTA.

Acta Con-  
ciliique.

\* *Concilium.*] In hoc Concilio ex schedis Antonii Augustini asse-  
rit Baronius, inter alia quæ ad disciplinam ecclesiasticam conseruan-  
dam spectant, illud sancitum reperiiri, Ut sacerdotes omnes episco-  
pi atque presbyteri Missam quotidie celebrarent: Ut clerici tempore  
iciunii & litaniarum, quoties publica delictorum expiatio indicere-  
tur, cilicio induerentur. Hæc Baronius ex prædicto codice Antonii  
Augustini anno 1056. num. 16.

## VITA ET EPISTOLA STEPHANI PAPÆ IX.

Stephanus  
quando &  
a quibus

S TEPHANVS, antea Fridericus appellatus, ex abbatे  
Cassinensi & cardinale presbytero communi totius  
cleri

ANNO  
CHRISTI  
1057.